

suae regulæ, ita etiam nunc esse possunt monasteria monialium.

10. *Femina collegialiter viventes absque dicta regula, religiosæ non sunt.*—Quapropter, si quispiam velit erigere monasterium monialium, et non sub aliqua regula approbata, necessarium erit ut ratio et modus vivendi in tali congregatione per Summum Pontificem specialiter approbetur, alioquin esse poterit honesta quædam mulierum congregatio, non tamen vera religio, seu religiosa professio, juxta dictum cap. unicum, de Religiosis domibus, in 6, cum notatis ibi per Joannem Andream, et per Panormitanum, 1 part. Consiliorum, cons. 55. Non ergo sufficere tunc approbatio Episcopi; hæc enim necessaria quidem est ut monasterium de novo in diocesi erigatur, juxta cap. de *Monachis*, cum sequentibus, 18, q. 1. Et olim sufficiebat ad novum etiam vivendi modum instituendum; nunc autem necesse est ut modus ipse vivendi vel sit juxta aliquam regulam approbatam a Sede Apostolica, vel specialiter ab eadem Sede approbatus sit.

11. *Illatum unum de origine et antiquitate monialium.*—*Illatum alterum.*—Atque ex his inferuntur duo. Unum, idem esse judicium de origine et antiquitate religionum monialium, tam in generali, quam in particulari, quod de religionibus virorum, proportionem servata. Nam, ut ex dictis in num. 2 constat, monialium religio simul cum religione virorum exorta est, et cum singulis fere monachorum auctoribus, virginum etiam conventus inceperunt, sicut de Pachomio et aliis diximus, et S. Basilius inter suas regulas habet animadversiones ad Canonicos, et ad Canonicas, id est, regulares; et S. Augustinus fertur fundasse primum feminarum monasterium in Africa, in civitate Thegastæ. De S. Dominico adhuc vivente legitur monasterium feminarum Romæ instituisse. D. etiam Franciscus simul cum regula fratrum suorum, regulam sororum S. Claræ instituit, quam Gregorius IX approbavit, posteaque Urbanus V moderatus est, et ad meliorem ordinem, et feminis magis accommodatum reduxit. De aliis vero religionibus, tam monachorum quam mendicantium, non ita certo constat quando cœperint habere monasteria feminarum sibi subjecta, vel suam regulam profitentia. Verisimile tamen est idem esse in cæteris observatum, simulque incepisse, quamvis sub eadem religione virorum, varia etiam instituta monialium esse contingat; ut religio Minorum præter

religionem S. Claræ, habet etiam sibi subjectam religionem Conceptionis, quæ diversam regulam profitetur, et sic de aliis, de quibus sigillatim dicere operosum esset, et nobis non necessarium. Alterum illatum longiorem petit explicationem sequenti capite tradendam.

CAPUT XI.

DE RECEPTIONE AC NOVITIATU MONIALIUM, EARUMQUE PROFESSIONE CUM CEREMONIA VELI.

1. *De numero et dote monialium recipiendarum.*—*De potestate recipiendi.*—Præter consuetudinem præcedenti capite, num. 11, positum, sequitur etiam ex dictis in eodem capite, omnia quæ in discursu hujus operis de statu religioso dicta sunt, cum proportionem esse ad moniales applicanda. Nam imprimis consideranda est earum receptio, in qua observandum imprimis est, quod jura statuunt, ut non fiat nisi intra numerum præscriptum monialium, qui ex redditibus vel ex consuetis elemosynis commode sustentari possunt, juxta cap. unicum, § *Sane*, de Statu regular., in 6, et decretum Concilii Tridentini, sess. 25, cap. 3, de Regular., ac tandem constitutum. Pii V *Circa pastoralis*, etc., quod intelligendum est, nisi monialis secum afferat dotem, ex qua possit commode sustentari; nam illa dos potest inter elemosynas, vel postmodum etiam intra redditus monasterii computari. Hinc vero nascitur dubium, quod hic præcipue controversi solet, et spectat ad simoniæ vitium, an, scilicet, committatur in tali receptione, eo quod non fiat sine dote in pactum deducta, nec sine aliis certis expensis; sed hoc punctum late et in particulari tomo præcedenti tractatum est. Tractari etiam hic potest de auctoritate recipiendi aliquam in monialem, apud quem sit, de quo etiam videnda sunt eodem tomo dicta de receptione novitiorum, et cum proportionem in præseuti applicanda. Communis vero usus juri et rationi consentaneus est, ut hæc potestas sit in ipso conventu monialium, simul tamen requiratur Prælati licentia seu consensus. Nam quatenus illa receptio est ad communem vitam et societatem cum monialibus, ratio postulat ut ipsæ voluntarie illam admittant; quatenus vero illa receptio est aliquo modo actus jurisdictionis, oportet ut Prælati, apud quem est propria jurisdictio, concurrat, de quo videri possunt Abbas, in cap. *Noscitur*, de His quæ fiunt a majori parte Ca-

pituli; Felinus, in cap. *Quoniam*, de Simonia; Lopus, allegat. 31.

2. *De conditionibus personalibus, speciatim an requiratur virginitas.*—Interrogari præterea potest, quæ conditiones, ex parte personæ recipiendæ, spectandæ vel postulandæ sint; in quo primum necessaria sunt omnia, quæ in communi de statu religioso diximus, tomo præcedente. Deinde hic addendum est, non solum virgines, sed etiam viduas in eodem monialium conventum recipi posse. Hoc constat ex usu Ecclesiæ, quem esse antiquissimum constat, nam in monasterio illo virginum, quod in Africa Augustinus instituit, sororem viduam illi præfecit, et Beata Brigida, cum esset vidua, monialium ordinem instituit, quarum fuit Abbatissa, licet ipsæ virgines essent. Præterea, in cap. *Vidua*, 20, q. 1, de vidua dicitur, si velit religionem profiteri, admitti posse et debere, recepto habitu religioni conveniente; idem constat ex cap. *Viduas*, 1 et 3, et cap. *Vidua*, cum sequentibus, 27, q. 1. Sunt vero nonnulla antiqua decreta, quæ huic assertioni repugnare videntur, de quibus statim agemus. Dices: ergo etiam femina illicite corrupta post penitentiam admitti poterit, ut inter virgines monialis sit, quia culpa præcedens non videtur obstare, si virginitatis integritas necessaria non sit. Respondent aliqui, hujusmodi feminas, hac macula vel nota laborantes, non esse admittendas in conventu virginum, de quo videri potest Francus in cap. unico, de Religiosis domibus, in 6. Sed hoc intelligendum est secundum decentiam et convenientem honestatem, non secundum incapacitatem, aut absolutam prohibitionem, nulla enim in jure communi invenitur, nisi in propriis monasterii constitutionibus habeatur. Quocirca, si lapsus fuerit publicus et infamis, talis femina, quamvis postea convertatur, in consortium virginum admittenda non est, ideoque pro hujusmodi feminis inventa est specialis religio, quæ dicitur *mulierum penitentia*, aut Sanctæ Mariæ Magdalænæ, cujus plura sunt in Hispania monasteria, quæ regulam S. Augustini profiteri dicuntur, et sub cura, et obedientia Prædicatorum vivunt. Si autem lapsus sit occultus, et non generaverit infamiam, nihil impedit per se moraliter loquendo; imo aliquando licet esset publicus, si semel tantum ex quadam fragilitate accidisset, posset tot aliis circumstantiis personæ, generis et emendationis honestari aut compensari, ut sine inconvenienti talis persona admitti posset. Itaque hoc in hujusmodi casi-

bus maxime pendet ex prudenti arbitrio. Idemque dicendum est de aliis conditionibus ex parte talis personæ requisitis, ut quod et corpore et animo sit apta ad religiosam et communem vitam, juxta monasterii et ordinis regulam, ut dicitur in Concilio Tridentino, sess. 25 de Regular., c. 17.

3. *De secunda parte tituli, seu novitiatu.*—Post receptionem, necessaria est integri anni probatio, ita in monialibus sicut in monachis, et cum iisdem circumstantiis, nec in hoc occurrit aliquid speciale. Pari etiam modo post expletam probationem aut danda est professio, aut dimittenda novitia, juxta legem positam a Tridentino supra, cap. 16, quæ utriusque sexui communis est, ut constat ex discursu totius tituli de Regularibus, et specialiter ex principio capit. 15. Neque obstat particula *novitios*, masculini generis; nam regulare est ut sub masculino feminiuum comprehendatur, quando materia communis est.

4. *De tertia parte, ac primum ut professio fiat spontanea.*—*Item dos novitiæ tempore professionis ordinariæ tradenda.*—*Item professio in manibus Prælati faciendâ.*—Circa professionem autem ea omnia servanda sunt, quæ tractat. 7 sunt explicata, et substantialia ac generalia sunt. Ubi etiam diximus specialiter attendendum esse in professione monialium, ut plena voluntate et omnino spontanea fiat, quod antiquis canonibus cautum est, cap. *Puellæ*, 20, q. 1. Maxime vero hoc innovavit Concilium Tridentinum supra, cap. 16, 17, et 18, nam ob eam causam in 16 statuit, ut ante professionem ex bonis novitiæ monasterio nihil tribuatur præter victum et vestitum pro anno probationis: *Ne hac occasione discedere nequeat.* Unde a Congregatione Cardinalium declaratum est, etiam dotem non esse monasterio tribuendam ante professionem, sed in deposito reponendam. Quod per se intelligendum existimo; nam si necessitas vel aliqua major commoditas ipsiusmet novitiæ intercederet, et judicium ac licentia Episcopi interveniret, posset, ut opinor, dos recipi a monasterio, data certa cautione et securitate illam integre et sine difficultate restituendi, si novitia velit abire; ita enim satisfit intentioni Concilii. Quod ulterius, in cap. illo 17, circa hoc disponit, ut Episcopus ante professionem, virginis voluntatem exploret, ut pia et omnino spontanea sit. Ac tandem in 18 cap. censuram addit contra eos, qui feminas ad statum religiosum assumendum cogunt, vel assumere volentes impediunt, juxta cap. ult. 32, q. 2, quæ tomo

de Censuris, et tract. 7, lib. 6, supra, est a nobis explicata. Sicut autem ex parte novitiæ voluntas requiritur, ita etiam ex parte monasterii, simul cum Abbatissa, sicut de receptione dictum est; nam est eadem vel major ratio, ut ex dictis satis constat. Ex parte autem Prælati non solum consensus necessarius est, sed etiam in manibus ejus debet professio fieri, et ab eo acceptari, quia solum apud ipsum est propria jurisdictio, ex cap. *Statuimus*, 20, quæst. 2.

5. *De ceremonia veli.* — *Velum receptionis, seu novitiarum.* — *Velum professionis.* — Est autem hoc solemne et observatum in feminis, ut cum profitentur, velum recipiant, et olim etiam solebant virgines consecrari. Unde multiplex distingui solet velum monialium; quoddam dici potest velum receptionis, quod novitiis a principio datur, et solet esse album. Aliud dicitur velum professionis, quod nigrum est (quamvis olim aliqua varietas in hoc fuisse videatur), et hoc datur solemnem professionem emittentibus, eujuscumque ætatis vel conditionis sint. Meminit illius Hieronymus, epist. 8 ad Demetriadem, de servanda virginitate, dicens: *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammæ virginalis sanctum operuerit caput.* Ubi Marius Victorinus dicit *flammæ appellari* velum rubrum, quo nuper nuptæ uti solebant; et in Epitaphio Paulæ, alias epist. 27, de Paula dicit Hieronymus: *Christi flammæ reservatur*; scholium vero addit, *flammæ vocari indumentum flammæ coloris, quo mulieres præsertim virgines caput tegebant.* Sed quid sit de antiqua aut prima vocis expositione, constat et ex subjecta materia, et ex adjuncto adjectivo virginali Hieronymum loqui de velo monialium, propter quod etiam dicit solitum esse imponi ad Episcopi imprecationem. Unde videtur Hieronymus ad spirituales nuptias et novas Christi sponsas vocabulum illud transtulisse; nec propterea dicere oportet monialium velum tempore Hieronymi rubrum fuisse, quia non est attendendum ad originem vel etymologiam vocis, sed ad rem, ad quam significandam translata est. Unde idem Hieronymus, epist. 12 ad Gaudentium: *Solent (inquit) cum futuram virginem sponderint, pulla tunica eam induere, et furo operire pallio, id est, fusco, seu nigro.* Epistola vero 48, ad Sabinianum, faciens mentionem idem Hieronymus ejusdem consuetudinis: *Moris est in Ægypti et Syriæ monasteriis, ut tam virgo, quam vidua, quæ se Deo roverint, et seculo renuntiantes, omnes delicias seculi con-*

culcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato; et infra de moniali loquens, ait: *Christi flammæ consecrata est, et se in monasterio victuram sponderat,* etc. Unde constat aperte loqui de velo professionis, et docere viduis et virginibus fuisse commune.

6. *Prima prerogativa hujus veli consecrationis, quod virginibus solum competit.* — Est autem aliud velum, quod dicitur consecrationis. Solent enim Sanctimoniales solemniter consecrari nonnullis benedictionibus et ceremoniis, quæ habentur in Pontificali Romano, et explicatur a D. Thom., in 4, d. 38, quæst. 4, art. 5; Paludano ibi, quæst. 5, art. 2, et late ab Antonino, 3 part., tit. 2, cap. 2. Velum ergo, quod speciali benedictione tunc imponitur, dicitur velum consecrationis, quod plures habet prerogativas: una est, quod solis virginibus dari potest, ut dicti auctores docent, et habetur expresse in cap. *Devotis*, 20, quæst. 4, ubi Gelasius Papa inquit: *Viduas velare Pontificum nullus attentet,* quod etiam habet Concilium Triburiense, cap. 25, et Concilium Rothomagense, canon. 9, apud Ivoem, part. 7 Decreti, cap. 52. Hæc enim decreta non sunt ita intelligenda, ut nullum velum viduis imponi possit, ac si illæ essent incapaces professionis religiosæ; hoc enim aliis decretis repugnat, ut patet ex dictis, et ex cap. ult., 20, quæst. 4, et ex multis aliis, 27, q. 1. Sunt ergo illa decreta intelligenda de velo consecrationis.

7. *Corruptis etiam per vim hoc non datur.* — Unde D. Thomas supra: *Viduis (inquit) datur aliquod velum, non tamen cum illa solemnitate, cum qua datur virginibus.* Idem fere ibi Soto, art. 1, et Sylvest., verb. *Consecratio virginum.* Unde a fortiori constat feminas extra matrimonium corruptas nulla ratione posse hoc velum recipere. Quod adeo verum est, ut etiamsi per violentiam, et sine propria culpa corrupta sit virgo, consecrationis velo ornari non possit, juxta decretum Leonis Papæ, ep. 87 ad Episcopos Mauritanæ, cap. 2, statuentis cum his feminis eam esse servandam moderationem, *ut neque in viduarum deficiantur gradum, neque in sacrarum et perseverantium virginum numero censeantur.* Quod non ita est intelligendum, ut pro illis speciale velum instituendum sit, sed quod in aliis prerogativis et honoribus præferri possent viduis, et virginibus æquiparari, non tamen in consecratione. Cujus rationem insinuat infra, cap. 5, et

habetur 32, q. 5, cap. *Illæ*, dicens: *Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdidit, laudabiliores erunt humilitate et verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus; quamvis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, et potuerit corruptione carnis mens in vita non pollui, minus tamen hoc illis oberit, si quod potuerint animo non amittere doleant se vel corpore perdidisse.* Quod exponens D. Thomas, citato loco, ad 4, dicit, quamvis illæ, quæ per violentiam corrumpuntur, si nullo modo consentiant, virginitatis gloriam non perdant, quia tamen valde difficile est quod in tali delectatione aliquis complacentiæ motus non insurgat, ideo Ecclesiæ, quæ de interioribus non judicat, hujusmodi sic corruptas inter virgines non velat. Est etiam illa quasi quædam irregularitas, quæ, licet sine peccato contrahatur, impedit talem consecrationem. Unde D. Augustinus, lib. de Bono conjugali, cap. 48: *Etiamsi violenta corruptio virginis baptismum antecedit (ait) non posse etiam post baptismum inter Dei virgines consecrari.* Verum est Augustinum simpliciter loqui de femina, quæ catechumena fuit vitiata, et non addere expresse, etiamsi violenter vitiata sit; loquitur tamen generaliter de catechumena vitiata, etiam sine culpa. Ratio verè est, quia in consecratione virginum non spectatur an culpa præcesserit, sed an virginitas etiam corporalis seu materialis subsistat, quia per consecrationem ipsam significatur, et speciali honore afficitur, et per illam repræsentatur integritas Ecclesiæ triumphantis, ut dixit Glossa, in cap. *Acutius*, 16 distinct.

8. *An corrupta reputata virgo possit velum hoc accipere.* — Sed quæri hic solet, si femina sit in publica fama et possessione virginitatis, occulte autem sit corrupta, possit consecrationis velum accipere: nam D. Thomas supra, ad 5, absolute negat, *quia propter vitandum (inquit) scandalum non debent Ecclesiæ sacramenta vel sacramentalia variari.* Dicit tamen quærendum esse remedium ad vitandum scandalum et infamiam, quale est ut, accidentalibus et publicis solemnitatibus retentis, quæ sunt de substantia consecrationis mutantur, quam mutationem censet sufficienter fieri mutato nomine *virginitatis* in nomen *castitatis*. Cujus ratio esse videtur, quia alias forma talis consecrationis contineret mendacium. Idem sequitur Angelus, verb. *Consecratio virginum*, num. 3, et Sylvester ibi, num. 2. Hoc vero non placet Paludano, in 4, d. 38, q. 5, art. 3,

conclus. 7, quem sequitur Anton., 3 part., tit. 2, cap. 2, in principio, quia illa fictio continet mendacium in ipso facto, quod non minus clarum est quam in verbo; sed hoc non admodum urget, quia illud non est mendacium formale, sed materialis dissimulatio vel occultatio; nam id, quod fit, habet suum proprium usum licitum et bonum, et potest habere significationem veram, scilicet sanctificationis et oblationis illius personæ, quæ ad divinum cultum, et ad perpetuam continentiam ex tunc Deo dicatur; alia vero falsa significatio, quæ ab aliis concipi potest, non est intenta, et ideo non intervenit mendacium.

9. Quare non dubito quin ille modus, a D. Thoma relatus, sit licitus; et potius dubito, an sit sufficiens remedium, vel necessarium; sufficiens, inquam, nam, eo ipso quod *virginitatis* nomen in nomen *castitatis* mutetur, generabit suspicionem et scandalum apud audientes, præsertim mediocriter intelligentes, qui licet regulariter pauciores sint, infamia tamen apud ipsos est majoris momenti. Necessarium autem non videtur esse mendacium, quia verba possunt legitimum sensum habere. Unusquisque enim censetur loqui in eo foro in quo operatur; sic enim reus sine mendacio negat delictum occultum, quod vere commisit, et iudex per sententiam vere declarat innocentem eum, quem occulte scit nocentem, si in iudicio non probatur. Imo Scriptura divina, Luc. 2, et alibi, ita loquitur, ut *patrem* vocet eum, qui communiter talis reputatur, licet non sit; ergo similiter sine mendacio potest appellari *virgo*, quæ talis est in communi existimatione, non obstante contraria scientia occulta, quia omnes intelligunt humanum sermonem esse ex humana scientia et existimatione, et non semper ex re ipsa.

10. *Probabilior responsio declaratur per duas partes.* — *Prima pars, quod possit Prælati illam admittere ad velum.* — *Non tenetur tamen admittere secluso scandalo seu infamia.* — Quocirca probabile existimo, in casu omnino occulto posse hujusmodi feminam accipere velum consecrationis. Quod ita declaro; nam duplex obligatio ex hoc defectu occulto oriri potest, vel in Episcopo ad non consecrandam feminam, vel in ipsa femina, ut non se ingerat consecrationi. Quoad priorem, si Episcopus solum habeat notitiam lapsus, per confessionem sacramentalem, certum est nec debere, nec posse negare consecrationem feminæ